

† R. P. Hubertus Géron (1866-1934)

(Prov. Belg.)



Eximius Instituti sodalis, cuius hic breviter vitam teximus, ortum duxit e pago *Montzen* in Belgii finibus orientalibus sito, ubi avita fides viget et a saeculis potius lingua Germanica in usu est. Hinc explicatur, quod confrater defunctus utraque lingua, et Gallica et Germanica, cum quadam dexterritate in sacro suggestu et in libris a se evulgatis utebatur.

Hubertus noster lucem mundi primum aspexit d. 17 Maii 1866, progenies parentum admodum religiosorum, qui brevi post huius filii nativitatem domicilium suum ad vicinam parociam *Hombourg* transtulere, ad praedium rusticum *Ten Driesch* nuncupatum. Inde Hubertus dimidiae horae viam carpere debebat, ut ad loci scholam ele-

mentarem perveniret, quod tamen diligenti et ingenioso puerulo prorsus durum non erat. Diebus autem dominicis et festis videres eum cum patre et duobus fratribus gravi passu ad paroecialem ecclesiam ascendentem et omnes quatuor divinis officiis cum magnis suis devotionis libris pie assistentes.

Hubertus, fratris maioris exemplum secutus, inde a pueritia ad statum clericalem aspirabat et rudimenta Latinae linguae in domo vicarii Moeller didicit, reliquas autem cognitiones humanisticas in Seminario minore S. Rochi hausit, cuius collegii, quoad vixit, gratam servavit memoriam.

A. 1883 in Trudonopolitano (*St. Trond*) Seminario philosophiae vacare coepit, sed anno insequenti inde transit ad nostrum novitiatum in eadem civitate exstantem et tunc temporis sub Patris Tournay sapienti modera-

mine constitutum¹. Iam duodennis viderat et audierat Redemptoristas in Hombourg missionem praedicantes; Trudonopoli saepe novitiis nostris obviam fiebat; legerat assidue S. Alfonsi scripta: quid mirum igitur, quod ipse quoque eius filiis adnumerari cupiebat? Et evasit tanti Patris filius genuinus, fidelis sectator eius zeli, pietatis scientiaeque. Vota emisit d. 4 Oct. 1885 et sacerdos ordinatus est Pulchriungi d. 30 Iun. 1889.

P. Géron, cum ingenio polleret ac sedulitate haud communi emineret, absoluto studentatu statim cathedram theologiae recepit concreditam. Qui pauci anni lectoratus futurae vitae missionali perquam utiles exstiteret, siquidem ab eius sermonibus nunquam theologia, neque etiam philosophia christiana exsulabat. Existimabat enim magis necesse esse fidem audientium hodie adeo periclitantem confirmare mentiumque tenebras excutere, quam continuo invehere in vitia cordis et pravos mores huius saeculi.

E conferentiis, quas Bruxellis ad viros S. Familiae habuit, prodiit opus apologeticum *L'idée religieuse* (1904, p. 492 in 8° min.); et dum in hoc libro solide de Deo tractat, in subsequenti opere *Les préliminaires de la foi* (1907, p. 706 in 8° mai.) de Christo eiusque Ecclesia agit, complens ita totam apologeticam. Etiam in asceticis eius scriptis, uti *Die immerwährende Mission* (1924) et *Fern vom Weltlärm. Ein Exerzitiienbuch* (1929), ubique apparet mens logice formata et animus thesauris theologiae repletus, quanquam illustrationes quoque populo tam gratae, ut similitudines et exempla, minime desunt.

Attamen primatum in actuosa vita Patris Géron apostolatus sacrae praedicationis habet, de quo hodiernus Episcopus Leodiensis Eximius Kerkhofs post confratris obitum scripsit: «Paroeciae Belgicae ubique, sed imprimis in dioecesi Leodiensi, ad cognitionem et existimationem huius zelantis missionarii pervenerunt. In provinciae nostrae parte Germanica eius nomen universali circumdabatur veneratione et amore. Haud semel S. Viti sacerdotibus ad secessum congregatis exercitia tradidit, et ipsemet expertus sum, quanti essent eius apostolici zeli fructus».

Externus Patris Géron senis habitus: facies ossea, vertex calvus nigris capillis cinctus, oculi grandes perspicillis fortibus obumbrati, austeritatem potius indicare videbantur; verumtamen si quis ei appropinquabat, amabili risu bonisque verbis excipiebatur: adeo cor eius erat affectu benevolentiae dives, et propterea eum amabant quotquot melius eum noverant. De hoc contionatore non valebat illud: *Nemo propheta acceptus in patria*, sed libentissime a suis civibus etiam iterato audiebatur.

Quondam causicus pravae vitae ab amico eo adductus erat, ut Patrem Géron audiret in ecclesia sermocinantem. Interrogatus postea: «Quid dicis de contionatore?» respondit: «Est orator logicus ipseque convictus,

¹ De eo cfr. *Analecta* XIII (1934), 76-78.

quare eos qui idem sentiunt fortissime movere debet. Verum tu scis memet nimis nequitiae immersum esse ».

P. Géron consueverat sermonis sacri tantum accuratam dispositionem antea scribere, quam dein diu in horto vel in alio loco solitario et coram Sanctissimo meditabatur et de qua etiam libenter cum aliis loquebatur. In seligendo argumento et in evolvendis cogitatis erat originalis, ut dicitur, veluti peccatum mortale comparans bello ipsi Altissimo illato, vel ostendens S. Gerardum nostrum ut alterum S. Antonium Patavinum. Idem argumentum facile coram diversis auditoriis diversa ratione pertractabat, ut quondam de S. Paulo Eremita fer. VI ad confratres, Dominica ad omnes fideles et fer. II ad mulieres S. Familiae dixit. Non immorabatur diu in premenda una sola idea, sed malebat, (ut eius dicto utamur) « bonum numerum veritatum contra audientium capita iacere ». Minus ergo eminebat in excitandis teneris affectibus.

Archisodalitas S. Familiae valde ei cordi erat et per plurimos annos eius fuit Director, primum sectionis masculinae, postea femininae. In ultima infirmitate aliquando dixit: « Ubi iterum ad ecclesiam descendere potero, omnium prima praedicatio erit pro S. Familia Leodiensi feminarum ».

In Congregatione pluries Rector fuit localis, primum Montibus, postea Leodii, ubi longe maiorem vitae religiosae partem degit; immo quondam supremus Instituti Moderator de eo toti Provinciae praeposendo serio cogitavit; sed humilis religiosus opposuit fundatum timorem caecitatis et sic « periculum evasit ». In Capitulo provinciali d. 30 dec. 1908 electus est, tum Rector Montensis, Vocalis pro Capitulo generali venturo. Redactus ad condicionem militis gregarii sincere gaudebat, et summa observantia prosequabatur suos Superiores, licet forte multo iuniores. « Facere non possumus, quin hunc virum amemus », dixit de eo novus quidam Rector exactis aliquot septimanis.

Domi P. Géron nunquam non occupatus erat, sive legendo, sive scribendo, sive orando. Ex aliquo labore apostolico redux, cum esset devotissimus erga SS. Eucharistiam, fere totum diem coram tabernaculo transigebat. Praesertim post bellum indefessus erat in sacro ministerio verbi, nec suis infirmitatibus ab operando retinebatur. Sed mense Februario 1834 haemorrhagia interior ac subsequens paralysis unilaterialis apostolum zelantem monuit iamiam tempus quietis advenisse. Quae quies coacta, quam dura huic seni operoso erat! Verum *vasa figuli probat fornax, et homines iustos tentatio tribulationis* (Eccli. 27, 6). Si quando querimonia ex ore aegrotantis semiconscii exciderat, postea humiliter petebat veniam et cum lacrimis aliorum caritatem exaltabat.

Die 27 Aug. 1934 tempore matutino intravit bonus confrater in serenam agoniam et vesperi h. 10.15 *bonus miles Christi* in pace Domini

quievit. Versus finem bis cum amore et veneratione matris vocabulum pronuntiaverat, et lingua quidem sua materna: *Mutter! Mutter!* Appellaveratne moriens dulcissimam genitricem, a qua olim illam devotionem ardentem didicerat? An volebat dilectam matrem Congregationem ultimum salutare? An vidit tum ipsam Matrem caelestem? Haec ignoramus, sed scimus hunc triplicem amorem in vita et in morte fuisse vivum in hoc genuino Redemptorista, qui in multis S. Clementi nostro haud assimilis est ¹.